



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Dispvtaio X. De reditu peccaterum per pœnitentiam remissorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

*Ecclesia non
habet aucto-
ritatem
aliquid insti-
tuendi ut
efficax ad
tollendas cul-
pas.*

siam auctoritatem aliquid instituendi ut efficax ad tollendas culpas; probatur ex ipso Ecclesie vlti-
enim Ecclesia habuisset potestatem dimittendi pec-
cata extra sacramenta, aliquando eam exercuisset
& dimississet etiam siue aqua benedicta, solum per
vsum suæ potestatis, dicendo, Ego tibi dimitto tua
peccata; sicut dimittit plerumque pœnas peccato-
rum immediate per indulgentias, nullum opus pi-
exigendo, sed aliis de causis: nunquã autem Ecclesia
hoc fecit circa culpas: ergo ideo quia nõ agnouit,
daram sibi eam potestatem circa culpas extra sacra-
mentum. Potuit utique Christus eam potestatem
Ecclesie relinquere, si vellet; sed tamen de facto
non dedit ei potestatem circa culpam vllam mor-
talem, vel venialem, nisi mediantibus sacramentis.
Dedit quidem communicationem thesauri suo-
rum meritorum, ex quo posset applicare per indul-
gentias pro debito pœnæ, non tamen dedit potesta-
tem tollendi culpas extra sacramentum. Ratio autem
62. reatus pœnæ potest tolli sine infusione gratiæ,
ideo nõ est inconueniens, quod tollatur ab Ecclesia
extra sacramenta: at verò nullus culpæ reatus tolli-
tur sine infusione gratiæ habitualis: omnis enim
remissio culpæ ordinatur ad sanctificandam, &
mundandam animam: Voluit autem Deus, nun-
quam sanctificari, aut mundari animam de facto,
siue à labe graui, siue à leui, nisi per sanctitatem
& munditiem positiuam internam: ideo nunquam
voluit tolli peccatum, nisi per infusionem nouæ
sanctitatis, & gratiæ; nam licet peccatum mortale
& veniale posset de potentia absoluta tolli per me-
ram condonationem extrinsecam, ut supra diximus,
sed tamen de facto neutrum voluit Deus ita tolli,
& sicut noluit, mundari hominem à mortali sine
sanctitate infusa interna, ita neque à veniali: vtra-
que enim reconciliatio fit perfectius per osculum,
& amplexum nouum, qualis interuenit in infusio-
ne nouæ gratiæ, qua Deus de nouo assumit homi-
nem ad amicitiam, vel ad archiorem amicitiam, quam
antea; cum ergo Deus noluerit communicare Ec-
clesiæ potestatem dandi gratiam extra sacramenta;
noluit etiam, quod posset tollere culpam aliquam,
vel grauem, vel leuem extra sacramenta, nulla enim
tollitur sine infusione gratiæ; neque Ecclesia vn-
quam agnouit in se talem potestatem.

63.
*Quomodo
sacramenta
ex Eccle-
sia insti-
tutione magis
profunt quam
alia.*

Hinc inferitur, quomodo profunt hæc sacramen-
talia ex Ecclesie institutione, plusquam alia quæ
non habent eam institutionem: profunt enim qua-
tenus ex impetratione Ecclesie Deus dat sepe
vrentibus aqua benedicta, vel aliis eiusmodi, ali-
quem piæ morum contra venialia quem alias for-
tasse nõ daret, etiam si aliquis sumeret aquam aliã
putans esse benedictam, quo etiam modo po-
test conducere panis benedictus, oratio in Eccle-
sia consecrata, vestes etiam sacræ, & alia eiusmodi;
non tamen immediate, neque infallibiliter: ali-
quando enim iustis de causis Deus non concedit
vniuersaliter ea, quæ ab Ecclesia petuntur.

Dices, hoc etiam modo potest conducere aqua
benedicta ad tollenda mortalia sicut ad venialia.
Respondeo, posse conducere aliquo modo, non ta-
men ita frequenter sicut ad venialia. Primum ex par-
te Dei, qui non ita facillè placatur in vno casu ac in
alio. Secundò ex parte hominis, qui non ita facillè
concepit morum sufficientem contra mortalia Ter-
tiò denique ex parte Ecclesie, quæ fortasse non
ita applicat ex primaria intentione hæc remedia
contra mortalia, sicut contra culpas leniores; ha-
bet enim contra mortalia efficaciora alia remedia
gravioribus morbis applicanda.

Difficilia sunt verba vnius Augustini in Enchi-

ridio c. 71. relata in c. De quotidianis, de pœniten-
tia disp. 3. vbi postquam dixit orationem Domini-
cam satisfacere pro peccatis leuioribus, postea ad-
iungit, *delet omnino hac oratio minima, & quoti-
diana peccata, delet & illa, à quibus vicia fidelium
seclerata etiam gesta, sed pœnitendo in melius muta-
ta discedit.* vbi videtur Augustinus ita distinguere
inter mortalia, & venialia, ut velit venialia tolli per
orationem Dominicam etiam sine pœnitentia aut
retractatione, non verò mortalia. Respondeo, Augu-
stinum non negare requiri retractationem aliquam
ad remissionem venialiam, sed solum assignare
discrimen, quod ex quotidiano lapsu in venialia
non arguitur defectus dispositionis requisitæ ad
eorum veniam, qui cum possibile sit sine illis vitam
transigere; stat bene hominem dolere de illis, &
eandem sepe relabi: non sic in mortalibus, quæ cum
possint facillè euitari, argumentum est non leue
in sufficientis pœnitentia, si nunquam vitæ, &
morum emendatio appareat. Videatur Vasquez
in præfati num. 29.

DISPUTATIO X.

De reditu peccatorum per pœniten- tiam dimissorum.

SECT. I. *Virum peccata dimissa redeant, vel possint
redire quoad culpam.*

SECT. II. *Virum peccata redeant, vel possint redire
quoad debitum pœnæ; vbi: an peccata venialia
correspondent pœna æterna in Inferno.*

Vidimus per pœnitentiam peccata tolli, tam
grauia, quam leuia: nunc antequam ad alios
pœnitentiæ effectus veniamus, oportebit pro com-
plemento huius effectus inquirere, an ita radici-
tus per pœnitentiam peccata tollantur, ut nun-
quam per subsequens peccatum redeant; an verò
possint postea reuiuiscere vel quoad culpam, vel
saltem quoad pœnam.

SECTIO I.

*Virum peccata dimissa redeant, vel possint re-
dire quoad culpam.*

Non est sermo de peccato quoad culpam actua-
lem eandem numero, an possit redire: hoc enim
ferè pedit ex principiis physicis, an idem ex accidens
numero, quod perit, possit naturaliter reproduci,
vel saltem de potentia absoluta: consequenter enim
de actu peccaminoso videtur, quod dici posset,
postquam transactus est, posse iterum Deum dare
concursum voluntati create ad eundem actum eli-
ciendum; qui concursum quoad modum esset mira-
culosus: Et quamvis Suarez, in præfati disp. 13.
sect. 1. n. 11. dicat illud miraculum non decere di-
uinam bonitatem: ceterum in ordine ad potentiam
absolutam non videtur repugnare: neque ideo Deus
diceretur auctor illius peccati, cum solum daret in
actu primo concursum indifferente ad illum actum
& ad actum bonum oppositum, nullo modo deter-
minas, aut suadens imò potius dissuadens fieri cum
actum malum. Aliunde tamen iuxta alia principia
philosophica quæ mihi sunt probabilia, quod
scilicet actus voluntatis duret per suammet entra-
tæ, & per consequens sit affixus huic spatio ima-
ginario successiuo; fatendum est, non posse eundem
actum reproduci in alia duratione, quia duratio
hodierna non potest cras reproduci.

Diffi

Difficultas ergo praesens non est de ipso actu, sed de macula peccati habituali, ac post poenitentiam, & remissionem peccati, possit postea redire macula, ita ut iterum homo habeatur odio à Deo propter illud peccatum, quod iam semel dimissum fuerat.

Aliqui ex antiquioribus docuerunt, redire post subsequens peccatum culpam iam semel remissam. Aliqui limitant hoc ad quatuor peccatorum genera; quae ratione speciali reuiviscere faciunt culpam dimissam; ea autem sunt odium fratris, apostasia, confessionis contemptus, & cum aliquem poenitet, quod poenitentiam habuerit, Auctores variusque sententiae late refert Vasquez in praesenti, cui probabile est, Augustinum, & aliquos alios Patres ita existimasse de peccato crudelitatis erga fratrem, ut ratione illius redeant peccata iam dimissa.

Fundatur haec sententia non nullis sacre Scripturae loquutionibus: Primò, quia Deus dicitur aliquando meminisse nostrorum peccatorum, quae obliuioni tradita erant, Psal. 78. Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. Psal. 108. In memoriam redeat iniquitas patrum eius. &c. 3. Reg. 17. quid mihi & tibi vir Deireuerfus es ad me ut rememoraretur iniquitates meas. Ad haec tamen facile respondeo; Deum dici oblitum eorum peccatorum, non quia iam omnino deleta essent & dimissa, sed quia quodammodo videbatur oblitus, quatenus eorum plenam punitionem in longum tempus distulerat.

Secundò, & difficilius obicitur ex parabola illa Matth. 18. ubi seruus, cui Dominus vniversum debitum iam condonauerat, iterum iubetur in vincula mitti & torqueri, donec soluat, eo quod ipse suo conseruo noluit dimittere; adiungit autem Christus. Sic & pater meus caelestis facit vobis si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Ex quibus verbis Patres colligunt, hoc genus peccati crudelitatis in fratres habere vim specialem reuocandi veniam, & remissionem praeteritorum peccatorum. ita Ambros. Gregor. Beda, Chrysost. August. Theophyl. Rabanus, & alij relati à Vasquez ubi supra, qui expresse dicunt, repeti à nobis quod dimissum fuerat, si nostris debitoribus non dimittimus.

Varias solutiones ad hunc locum referunt Suarez & Vasquez in praesenti quae, & multa alia ad locupletandum hoc punctum videri possunt apud Henriquez lib. 1. de poenitentia c. 32 qui erudite ea congerit. Alij dicunt redire idem debitum quoad substantiam, quatenus per subsequens peccatum incurritur poena Inferni, licet non semper aequalis cũ praecedenti. Alij dicunt, redire prius debitum virtualiter, & secundum quid, quia ratione ingratiitudinis subsequens peccatum sit grauis, & ita occasione peccatorum dimissorum, crescit poena huius secundi peccati. Vasquez addit, speciale esse in hoc peccato crudelitatis, ut Deus ratione illius peramittat, hominem labi in tot peccata, ut adaequet debitum culpae sibi olim remissum; & ideo specialiter adductam esse parabolam contra hoc vitium potius, quàm contra alia, quae expositio probabilis videtur.

Ad Patres verò omnia responsione ipsius Vasquez, qui ingenue fateatur, eos fuisse in contraria sententia, adhuc amplecti possumus explicatione communem: possunt enim intelligi, vel de reditu illo secundum quid, quatenus subsequens peccatum crescit ratione ingratiitudinis, vel quatenus ut modò dicebamus, propter crudelitatem illam Deus permittit hominem adaequare nouis culpis

cumulum earum, quae iam ipsi dimissa fuerunt, quod sufficit, ut dicatur aliquo modo redire prius debitum: neque enim quando PP. acriter ad populum pro concione in peccata inuehebantur, addebant ad formalitatem scholasticam, ut explicaret formaliter, quomodo priora peccata rediret.

Secunda ergo & vera sententia Theologorum est peccata semel dimissa, nunquam redire quoad culpam: ita S. Thomas in praesenti quaest. 88. quem alij omnes sequuntur, & probatur aperte ex Gelasio Papa in c. diuina de poenitentia dist. 4. ubi sic ait: Diuina clementia dimissa peccata in ultionem ultimus redire non patitur, & ex Prospero in responsione 2. ad c. Gallorum in haec verba: omnis homo qui credens in Patrem, filium & spiritum sanctum regeneratur in baptismo, tam à propriis peccatis quae mala voluntate contraxit, quam ab originali quod à parentibus traxit absoluitur; sed relapsus post baptismum ad infidelitatem, & impios mores qui negat originale peccatum fuisse purgatum, tam falsa opinatur quam qui eundem asserit non aeterna morte esse damnandum: qui enim recedit à Christo & alienus à gratia finit hac vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in quod remissum est, recidit, nec in originali peccato damnabitur, qui tamen propter postrema crimina ea morte afficitur, quae ei propter illa quae remissa sunt debebatur. Haec sunt verba Prosperi, ex quibus non solum habetur clarè conclusio, sed colligitur eius certitudo, cum dicat, non minùs falsò posse negari, quam si negatur Apostatam à fide esse damnandum: quare in eodem gradu certitudinis videtur vtrumque collocare.

Ratio praecipua conclusionis haec est, quia peccata per poenitentiam non solum reguntur, vel incipiunt non imputari, sed verè eradicantur, tolluntur & destruuntur: id autè, quod semel destructum est, non potest redire sine noua reproductione; ergo peccatum semel dimissum non potest redire nisi iterum producat: non potest autem produci de nouo à Deo, neque etiam produci ab ipso homine, ut supponimus, non restat ergo quomodo possit redire. Explicatur clariùs supponendo id, quod diximus saepe in superioribus, essentiam peccati habitualis seu maculae relictæ esse actum praeteritum moraliter perseverantem, quandiu non condonatur à Deo; ex quo aperte sequitur, non posse manere hac macula, nisi maneat actus praeteritus non condonatus à Deo, ergo si semel ponis fuisse condonatum implicat contradictionem in terminis, quod maneat illa macula, cũ non possit manere actus praeteritus non condonatus.

Haec ratio, si aliquid probat, probat vtiq; non solum de facto non redire, sed nec de potentia absoluta potuisse vnquam redire maculam peccati semel condonati. Ita sentiunt Theologi communiter, si excipias Scotum, cuius sententia amplectitur Valentia in praesenti dist. 7. q. 5. punct. 1. & probabilem censet Coninch. in praesenti, quia potest Deus remittere culpam illam sub conditione, verbis gratia, quandiu iterum non peccauerit, interim autè dū non peccat, non inficitur à culpa praeterita, nec habebitur odio à Deo; posita verò noua culpa reuiviscere poterit culpa praeterita, & Deus poterit iam habere odio illi hominē propter vtrumq; peccatum.

Haec sententia communiter displicet, & merito, quia eo ipso, quod culpa remittatur solum sub conditione, non remittit ut absolute & simpliciter nec potest dici ablata, nec homo mundatus, & purificatus ab illa macula, condonare enim culpam alicui est radicem ex corde euellere radicem offensionis, & querelam contra illi, si ergo manet adhuc in corde alta mente repositum peccatum praeteritum & radix querelae, & auersionis, non fuit vere condonatum.

Gelaf. Papi

Prospera

87

Non de poenitentia absolute potest redire.

107

donata sossensa; condonare quippe est reducere res ad priorem statum: interim autem dum Deus reseruat sibi illud ius ad querelam, & odium ratione offensa præteritæ, non reducit rem ad priorem statum æqualitatis, & pacis, nec habet erga hominem eundem animum, quem habebat prius.

11. Dices; Interim dum homo non peccat de nouo, Deus non odit eum ratione peccati præteriti, ergo tunc non est peccator, nec maculatus, sed gratus, & iustus sicut prius. Sed contra, quia licet tunc non detur odium Dei, sed tamen adhuc interim, dum non peccat, manet absolute, & actu ius illud in Deo ratione peccati præteriti ad habendum illam odio posita tali conditione: illud autem ius actuale impedit, quod homo actu sit iustus, & purus ab omni labe, qui enim debet sub conditione odium, iam debet aliquid, & habet debitum actuale ex parte obligationis, licet non obliget pro tunc, sed pro tali tempore ad odium Dei terminandum. Quare licet pro eo tempore intermedio non haberetur odio à Deo, non tamen esset gratus & sanctus, habet enim aliquid repugnans cum perfecta sanctitate, & puritate, scilicet, illud debitum, & obligationem passivam ad odium Dei nondum condonatum, quæ aliquo modo maculat, inficit animam, & facit eam non habere omnimodam æqualitatem cum Deo; ubi enim est debitum, non est æqualitas, & ubi non est æqualitas, non est iustitia perfecta. Maneret ergo verè peccatum, licet mortificatum, & consopitum, quatenus ante secundum peccatum non posset homo odio haberi à Deo, non tamen maneret omnino extinctum, & destructum; sed haberet se sicut merita mortificata in statu peccati, quæ verè manent, licet pro tunc sint sopita, & impedita, ita illud Dei, ius ad odium peccatoris verè maneret; ergo repugnat fuisse verè condonatum, sed solum fuit suspensum, & mortificatum quoad suam operationem.

12. Confirmatur, quia illa macula sopita, & mortificata adhuc non posset stare cum vnione hypostatica, quæ cum asserat secum summam sanctitatem, & puritatem, non posset non extinguere omnino quancumque maculam peccati: nec videtur concipi, quod posset Deus assumere sibi humanitatem alicuius peccatoris ad vnionem hypostaticam, & tamen non condonare illi omnia peccata absolute, sed solum condonare illa pro tempore quo duraret vnio hypostatica, & eo pacto, ut dissoluta vnione, reuiuiscerent ea peccata: & odium Dei contra eam humanitatem, certe, si eo solum modo remitterentur, posset bene ille homo Deum orare pro peccatis suis, & eorum veniam à Deo exigere, ac per consequens placare Deum, cuius odium, & iram merito verebatur propter scelera præterita, quæ omnia non videntur stare posset cum perfectissima sanctificatione, quam illa humanitas à Deo sibi hypostaticè vnito participaret; ergo ille status culpæ dimissæ solum sub conditione est vere labe & macula repugnans cum conceptu perfectæ puritatis, & sanctitatis; quare homo in eo statu non esset omnino purus, & mundus, ac per consequens nec omnino gratus in conspectu Dei.

13. Dices; si Deus annihilat peccatorem, eo ipso destruitur peccatum: potest autem Deus reproducere postea hunc hominem, qui sane tunc poterit adhuc esse maculatus prioribus peccatis; ergo non repugnat, peccatum semel destructum redire quoad maculam sine actione hominis. Respondeo, prædicto casu non destrui omnino peccatum, quando annihilatur homo, sed ad-

huc manere quandiu Deus retinet sibi illud ius quod ex peccato habuit ad odium hominis: postea verò reproducto homine, non reproductur peccatum, sed incipit denominare & maculare hominem, quem antea ex defectu existentie ipsius hominis non denominabat, nec maculabat.

Obiicit secundò Coninchius in præsentia, quia non repugnat, peccatum esse quantum est ex se, & tamen adhuc non inficere subiectum, donec ponatur talis conditio: verbi gratia, peccatum Adæ, in quo omnes posterius peccarunt, non inficit animam, donec vnietur corpori; quare si anima crearetur vno mense ante vnionem cum corpore; toto illo mense non contraheret maculam originalem, post mensem verò posita vnione, inciperet infici à peccato præterito, qui licet tunc non peccaret, tamen ponitur conditio requisita, ut inficiatur; ergo similiter postea Deus facere; ut homo hoc tempore intermedio nullo modo inficeretur, & macularetur à peccato commisso, sed suspenderetur eius vis ad maculandum; postea verò posita tali conditione noui peccati, inciperet infici, & maculari à peccato priori.

Respondendi potest, negando consequentiam. Ratio autem discriminis est, quod in casu antecedentis licet supponatur peccatum commissum in Adamo, non tamen supponitur esse peccatum illius subiecti, donec ponatur talis conditio; peccatum enim commissum est à posteris Adæ; ante vnionem verò, & generationem hominis, non est illa anima alicuius posterius Adæ, & per consequens illud peccatum adhuc non est suum: non ergo mirum, quod eam non inficiat, quia peccatum mere alienum non potest aliquem maculare: at vero in nostro casu, iam præsupponitur peccatum illud esse peccatum huius hominis, quare nihil deest, ut ipsum inficiat, neque ex parte subiecti, neque ex parte ipsius peccati, iam enim concipitur ille homo habere debitum ad odium diuinum ratione offensa à se commissæ. Repugnat ergo, peccatum esse commissum ab hoc homine & non esse perfectè condonatum; & tamen ipsum non inficere non verò repugnat, peccatum esse commissum, & non esse condonatum, non tamen inficere hunc hominem priusquam intelligatur esse commissum ab ipso.

Sed contra solutionem hanc adhuc potest videri difficultas. Videtur enim vtrunque difficile, siue dicas, illam animam infici, siue dicas, non infici illo tempore intermedio, quia anima illa, quando vnietur corpori, non peccat: ergo prius peccauit: ergo antequam vniretur, verum erat dicere, quod peccauerat; propositio enim non potest nunc incipere esse vera de præterito, quia aliquando fuerit vera de præsentia; sed nunc est verum dicere: *hac anima peccauit*, ergo aliquando fuit verum dicere, *peccat*: ergo in tempore intermedio ante vnionem; fuit verum dicere, quod iam peccauerat: ergo pro eo tempore intermedio, non potuit esse grata Deo, quia tunc ex suppositione quod postea vnietur corpori, verum erat dicere, *hac anima peccauit*, & nondum est illi condonatum peccatum: vel si hoc non erat satis, ut inficeretur pro eo tempore, idem poteris dicere in nostro casu.

Confirmatur, & explicatur difficultas: ponamus enim animam Petri iam tunc fuisse creatam, quando peccauit Adamus; tunc sanè, sicut verum fuit dicere: *nunc peccant omnes posterius Adæ*; ita verum erat idem dicere de singulis: *nunc peccant Petrus, &*

Joannes futuri posterius Adæ: ergo verum erat dicere tunc peccat anima Petri futuri posterius Adæ. Ergo tunc illa anima licet nondum esset unita corpori, non poterat esse grata, & iusta: quomodo enim potest concipi, quod simul peccaret actu & simul placeret Deo, & esset sancta; nam licet admittatur, posse de potentia absoluta componi simul gratiam cum peccato, nemo tamen concedit, tunc hominem esse simpliciter iustum, & sanctum, sed potius esse peccatorem, quia gratia non dat illum effectum formalem sancti, & iusti, quando adest peccatum: ergo in eo casu anima Petri non posset placere Deo; ergo inficiebatur à peccato, vel si non inficiebatur ex defectu illius conditionis, scilicet, unionis ad corpus habetur intentum argumenti, posse peccatum non destrui, & tamen non inficere subiectum ex defectu alicuius conditionis.

18. Aliunde verò quod tunc anima non inficeretur ante unionem cum corpore, videtur probari; quia anima tunc erat indifferens, ut videtur, vel non videtur cum aliquo corpore ex posteris Adæ, ergo erat indifferens, ut illud peccatum noceret, vel non noceret ipsi, ergo non poterat tunc displicere Deo propter illud peccatum: ergo adhuc posset manere grata Deo, donec poneretur conditio: ergo adhuc post peccatum positum potuit non infici ex defectu conditionis: alioquin debuisset privari gratia, antequam contraheret maculam per unionem cum corpore.

19. Confirmatur, quia si ante unionem inficiebatur iam ex peccato commissio in Adamo; ergo ante unionem haberet aliquam maculam habitualement: nam in tempore illo intermedio non haberet peccatum actuale, ergo si haberet maculam, deberet esse habitualis; ergo postea in unione ipsa cum corpore non contraheret de nouo maculam; consequens autem videtur falsum & contra communem modum loquendi Theologorum, qui dicunt, animam non aliter contrahere maculam, quam per unionem cum corpore, imò neque intelligi maculatam pro eo priori natura, quo anima precedit unionem eo instanti; quo creatur à Deo, sed per ipsum ingressum in corpus inquinari, & contrahere labem per generationem; ergo multo minus potuisset illam contrahere toto illo tempore antecedenti, si crearetur vno mense ante unionem cum corpore.

20. De hac difficultate nihil inuenio apud Auctores: exiit tamen, quæ in aliis materiis docentur, duplex solutio posset ad propositum adhiberi supponendo in primis, hoc argumentum nimium probare, probat enim, non solum posse suspendi peccatum, & condonari, ita ut tollatur macula habitualis pro tempore intermedio, & reuiuiscat tempore sequenti, quod solum volebat Coninchius, sed etiam posse ipsum peccatum actuale, quando acta committitur, non inficere, & maculare, sed impediri à Deo, & tamen reuiuiscere postea posita aliqua conditione, quod quidem neque Aduersarij intendunt, neque admittunt loquendo de peccato personali, posse non inficere ipso instanti, quo committitur, & postea resurgere, hoc enim est intelligibile, quod homo, quando actu odit Deum, non inquinetur odio illo Dei: & tamen vidimus, in peccato originali probari eodem modo, quod quando posterius peccabant actu in Adamo, posset anima alicuius posterius nasciturus existere actu in gratia & non infici ab illo peccato, donec poneretur postea conditio requisita unionis cum corpore: loquor autem de possibili, quia de facto fortasse non includeretur in peccato Adæ anima,

quæ iam tunc existeret in gratia: loquor ergo solum de possibili; potuisset enim pactum aliter fieri, ut comprehenderet etiam animam tunc existentem vel saltem, quæ non existeret tunc in gratia, sed in pura natura, quod ad præsens parum refert, quo casu illa anima tunc peccaret ex suppositione unionis futuræ cum corpore alicuius posterius Adæ. Ergo illud argumentum, si aliquid probat, probat plusquam intendunt Aduersarij; quod est indicium non leue, quod in hoc puncto non bene arguitur à peccato originali ad personale propter diuersissimas utriusque naturas.

Dupliciter ergo ad difficultatem responderi posset. Primum iuxta solutionem supra traditam, negando paritatem inter peccatum personale, & originale; nam in peccato personali non potest concipi, hunc hominem peccasse, & non esse condonatum absolute peccatum, & tamen non infici peccato, donec ponatur aliqua conditio: quia illa infectio, seu macula non est aliud, ut supra vidimus, quam aliquid debere Deo; seu reatus ad odium Dei terminandum, quem reatum iam contraxit homo illo tempore intermedio, cum non sit omnino condonatus licet peccatum pro eo statu non pariat suum effectum perfecte, scilicet, odium Dei, eo quod sit impeditum, & mortificationem, dum non ponitur conditio: sed tamen verè ibi est peccatum, sicut merita mortificationis ibi sunt, etiam dum sunt mortificata: at verò peccatum originale aliter se habet; nam reuera, donec anima uniatur corpori non contrahit debitum aliquod odij diuini, cum nondum pertineat ad ipsam illud peccatum posterorum Adæ: & ideo non mirum, quod toto tempore antecedenti non inficiatur ab eo peccato.

Nec obstat quod in argumento obicitur, quod scilicet verum est dicere, quod illa anima, quæ unienda est corpori, peccauit iam de præterito quando peccauit Adamus, ergo ex suppositione, unionis futuræ, iam pertinebat ad eam animam illud peccatum: ad hoc enim responderi potest, illam propositionem: *Hæc anima peccauit, seu hæc anima peccat peccante Adamo*: sonare quidem de præterito, vel de præsentis quoad denominationem, sed in re ipsa magis esse de futuro: nam in re ipsa est, sicut si diceret, hæc anima postea per unionem cum corpore contrahet maculam, & debitum odij diuini eodem modo, ac si nunc peccasset peccante Adamo: cum enim posterius non peccauerint physice in Adamo, sed solum moraliter, hoc est, æquiualeuter, non est necesse, quod habeant se in omnibus, sicut si peccassent physice: æquiualeentia enim suscipit magis, & minus, & potest esse æquiualeentia in ordine ad aliquos effectus peccati, & non in ordine ad alios: quando ergo dicimus, quod hic homo peccauit in Adamo, non dicimus, quod eodem modo se habuit in omnibus, ac si tunc peccasset physice, sed solum dicimus, ita nunc contrahere maculam, & reatum, ac si tunc peccasset: quod non est dicere, contrahere fuisse iam prius reatum, vel debitum, sed nunc per hanc unionem contrahi, sicut peccasset in tempore antecedenti. Hoc autem non videtur opponi cura gratia, & sanctitate temporis antecedentis, cum reuera tunc nondum intelligatur hic homo maculatus, sed nunc solum per unionem animæ cum corpore, intelligatur debitor odij, sicut si tunc peccasset: quod aliis exemplis moralibus potest declarari.

Ponamus enim, Pontificem concedere hodie alicui Cardinali moderno ex privilegio, quod habeat antiquitatem viginti, vel triginta annorum: certè

certe in ordine ad privilegia antiquitatis, perinde erit ac si ante triginta annos fuisset creatus Cardinalis; atque ideo æquivalenter, seu moraliter dici potest creatus Cardinalis ante triginta annos: & tamen tempore illo intermedio erat omnino inhabilis ad Cardinalatum, fortasse enim erat tunc vxoratus, vel non baptizatus; quomodo erat iam tunc Cardinalis moraliter, si tunc habebat aliquid repugnans cum Cardinalatu? Ideo sane, quia esse tunc moraliter Cardinalem, non erat aliquid tunc præsens, sed solum est, nunc habere iura antiquitatis, ac si iam tunc fuisset Cardinalis. Sic etiam in præsentis dici posset, animam illam potuisse eo tempore intermedio esse in gratia; quia licet ex suppositione vnionis futuræ, iam tunc peccauerat; hoc tamen solum erat æquivalenter in ordine ad contrahendum postea reatum, ac si tunc peccasset, cum peccato autem æquivalenter commisso, antequam contrahatur re ipsa debitum odij, potest stare gratia, sicut cum Cardinalatu in statu æquivalenti potest stare matrimonium, vel aliud impedimentum.

24. Quod si hoc alicui durum videatur, & difficile, quomodo eo tempore quo verè dicebatur de anima quod iam peccauerat in Adamo, & peccato illo non dimisso posset adhuc esse grata Deo; nam si posset esse grata; posset etiam tunc esse vnita Verbo, cum supponas, tunc nullam intelligi in anima maculā, vel labem, quæ repugnet perfectæ sanctitati, ac per consequens potuisset esse vnita Verbo eodem tempore, quo peccaret Adamus, quo casu, si illa anima postea esset dimittenda à Verbo, & veniendi corpori alicuius posterius Adæ (pro ut fieri posset) diceretur verè hæc anima vnita Verbo, quæ postea futura est anima vnus posterius Adæ per naturalem generationem, nunc peccat in Adamo, quod videtur repugnare cum statu vnionis hypostaticæ; propter hoc, inquam, potest aliter responderi. Secundo admittendo consequenter illud peccatum etiam æquivalenter factum esse aliquam labem, atque adeo non posse suspendi à Deo, quin interim etiam, dum non condonatur absolute, non inficiat, & maculet aliquo modo animam, atque ideo ex suppositione vnionis cum corpore futuræ, iam tunc anima esse aliquo modo infectam toto illo tempore antecedenti. Nam licet fortasse non haberetur odio à Deo ante vnionem, quia Deus noluit eam odio haberi, nisi posita vnione.

25. Cæterum debitum odij futuri, iam antea potuit contrahi ex suppositione vnionis futuræ: sufficit enim futuritio determinata vnionis, vt ex ipsius suppositione, aliquid antea existat absolute, sicut videmus contingere in scientia Dei; licet enim Deus non videat meam loquelam crastinam, nisi dependenter à mea operatione crastina; sed tamen ex suppositione futuræ meæ operationis, Deus ab æterno eam absolute cognouit: ita licet anima nō contrahat maculam, nisi dependenter ab vnione cum corpore; sed tamen ex suppositione futuræ vnionis, posset tempore antecedenti denominari maculata sicut denominabatur iam tunc peccasse dependenter ab eadem vnione futura. Et sicut antequam ego loquar, sū ego indifferens simpliciter ad loquendum & non loquendum, & per consequens sum indifferens, vt Deus sciat, vel non sciat, me loquuturum; & tamen Deus iam nunc cognoscit determinatè, me loquuturum ex suppositione meæ futuræ loquutionis: ita licet illa anima esset indifferens toto eo tempore antecedenti ad vnionem habendam vel non habendam, & per consequens, vt peccasset, vel non peccasset; sed tamen ex sup-

positione futuræ vnionis, verum esset determinatè, quod peccasset, & similiter posset determinatè denominari infecta & maculata: idem enim videtur esse peccare, & infici, seu maculari.

Solum videtur ob stare modus communis loquendi Theologorum, qui communiter dicunt animam per vnionem ad corpus infici, & inquinari, & contrahere maculam; ergo etiam si existeret ante vnionem non posset intelligi maculata eo tempore antecedenti. Ad hoc tamen dici posset, Theologos loqui de facto, & de contrahitione maculæ, prout de facto fit, cum enim de facto anima non creatur ante vnionem cum corpore, certum est, de facto non contrahere maculam ante vnionem cum corpore, quia quod non existit, non potest contrahere maculam. Quam rationem videtur insinuasse Anselmus lib. de conceptu virginali cap. 7. vbi latè explicat, quomodo ante productionem animæ rationalis non detur macula, & licet iam in ipso semine contineatur quasi radicaliter peccatum, non tamen posse maculari animam antequam sit, sed præcedere maculam in semine, non quod in semine (inquit) sit immunditia peccati, aut peccatum, siue iniquitas, sed quia ab ipso semine, & ipsa conceptione, ex qua incipit homo esse, accipit necessitatem, ut cum habebit animam rationalem, habeat peccati immunditiam. Verissimè ergo dicitur, animam per vnionem maculari, quia non existit ante vnionem, sed tamen si crearetur prius; tunc diceretur adhuc per vnionem cum corpore maculari, hoc est, non maculari illo modo nisi dependenter ab vnione cum corpore saltè futura: sicut autem dependenter ab vnione futura dicitur anima peccasse in Adamo; ita dependenter ab eadem vnione futura potuisset intelligi iam prius tempore aliquo modo maculata.

Dices; macula ista non communicatur anime, nisi per vnionem cum corpore, ergo per vnionem futuram solum potest communicari macula futura non macula præsens. Respondeo, si hæc macula esset aliquid physicum, quod physicè communicaretur, probaret bene argumentū: cum tamen sit aliquid morale, posset bene communicari per aliquid futurum: morale enim est in ordine ad considerationem prudentum: potest tamen in ordine ad hanc existimationem deferuire fundamentum futurum: nam in hac materia vidimus, per vnionem futuram potuisse animam habere tempore antecedenti hanc denominationem moralem, qua dicitur simpliciter: hæc anima peccauit in Adamo, non solum sub conditione sed absolute: hæc enim est vera propositio conditionalis: Si Petrus est futurus filius Adæ peccauit in Adamo, ergo possumus in fere absolutam hoc modo: sed futurus est absolute filius Adæ, ergo peccauit in Adamo. Similiter ergo posset deferuire vnio futura ad maculam moralem præsentem, quia macula illa præsens non videtur esse aliud, quam dari in existimatione prudentum fundamentum sufficiens, vt dicatur hæc anima offendisse iam Deum, & peccasse in Adamo; quod fundamentum ve vidimus sufficere potest desumi ex vnione futura cum corpore.

Dices iterum, ergo nunc etiam de facto anima prius intelligitur maculata, quam vnatur cum corpore. Probat sequela, quia nunc prius saltem natura creatur anima quam vnatur, ergo sicut in prioritate temporis intelligeretur maculata, ita etiam pro illo priori natura debet intelligi. Negatur sequela. Quia prioritas naturæ est solum prioritas causalitatis: quare pro eo priori solum intelligitur, quæ sūt causa posterioris: cum ergo macula nō sit

hic causa vnionis anime cum corpore, sed potius e contra, non debere animam intelligi maculata prius natura quam vnatur, sed potius e contra prius natura vnita, quam maculetur: in tempore autem antecedenti, licet non posset intelligi prius natura vnita de presenti, quam maculata: deberet saltem intelligi prius veniendi saltem de futuro, quam maculata: quia vnio vel præsens, vel saltem futura est causa maculæ; in ipso autem instanti vnionis, cum non posset prætelligi ad maculam vnio vt futura, quia iam non est futura, necesse est prætelligi vnionem vt præsentem. Exemplum habes manifestum in scientia visionis Dei: nam licet sit ab æterno prius tempore, quam obiectum; sed tamen semper præsupponit obiectum saltem vt futurum: in ipso verò instanti quo ego operor, non præintelligitur scientia Dei prior natura, quam mea operatio, sed e contra mea operatio præsens prior, quam scientia Dei, quia mea operatio tunc non potest præsupponi vt futura, debet ergo præsupponi vt præsens; non ergo bene arguitur: scientia Dei potuit esse prius tempore, quam mea operatio, ergo etiam in instanti, quo operor, potest intelligi pro priori natura Deus cum scientia mea operationis: hoc inquam, non sequitur, quia scientia Dei non est causa mea operationis, sed potius e contra mea operatio est aliquo modo oratio scientiæ Dei. Ita similiter in presenti non bene argueretur à prioritate temporis ad prioritatem naturæ.

De probabilitate vtriusque solutionis iudicium relinquo Lectori; mihi tamen magis placet prior, iuxta quam dicendum esset ad vltimam instantiam supra factam, si ea anima, tempore quo peccauit Adamus, esset vnita Verbo, & postea dimitienda esset, & vnica alicui corpori producendo per naturalem generationem ex progenie Adam, nunc quidem tempore vnionis cum corpore fore maculandum, non verò tunc, quando Adamus peccabat, nunc autem quando contrahit maculam, diceretur peccasse in Adamo, non tamen diceretur Verbum peccasse, quia hæc anima non peccauit, prout tunc existens, sed secundum id, quod nunc habet, quatenus cogitamus ita se habere nunc, ac si tunc habuisset eandem existentiam, & statum, quem nunc habet, & tunc cum hoc ipso statu peccasse, quare diceretur hoc suppositum creatum, quod nunc est, peccasse tunc moraliter, non illud, quod tunc erat: rursum tunc non diceretur vere: hoc suppositum peccat, sed suppositum futurum huius anima peccat nunc moraliter, & in eodem sensu diceretur: hæc anima quo nunc est vnita Verbo, non secundum statum, quem nunc habet, sed secundum eum, quem postea habebit, intelligitur moraliter nunc peccare, id est, ita habebitur postea odio, ac si nunc existeret in illo supposito, & peccaret, quod quidem non videtur repugnare cum statu physico, quem tunc haberet propter rationem supra positam.

Vltimo obiici solet contra conclusionem exemplum commune meritorum, quæ possunt bene mortificari per peccatum, & postea resurgere, ergo similiter posset peccatum mortificari per gratiam, & postea reuiuiscere per peccatum subsequens. Solutio, constat ex dictis, merita enim non tolluntur, vel extinguuntur, sed verè remanent in acceptatione diuina; ideo possunt reuiuiscere, peccata verò non solum mortificantur, sed tolluntur, & extinguuntur: alioquin non condonarentur, sed suspenderetur eorum effectus: ideo non possunt reuiuiscere, si verè condonentur. Quomodo autem merita de facto non extin-

gnantur per peccatum; dicendum est *disputatione sequenti*.

SECTIO. II.

Vtrum peccata redeant, vel redire possint quoad debitum pœna Vbi. An veniali corrippondeat pœna eterna in Inferno.

EX iis, quæ diximus de reatu culpæ, facilis est resolutio præsentis dubij de reatu pœnæ. Si enim loquamur de possibili, negat Vasquez in præsen-
31
senti, qui iuxta sua principia, cum doceat nunquam remitti peccatum, vel pœnam peccati sine intrinseca mutatione hominis, consequenter docet non posse redire reatum pœnæ: quia Deus non potest facere vt ille qui non erat dignus pœna, sit dignus, nisi reuiuiscat culpa præterita, quod fieri non potest. Alij tamen communiter dicunt, posse redire reatum pœnæ quia antea esset mortificatus, quod etiam tenet Suarez in præsen-
32
ti sect. 2. n. 14.

Vtraque sententia cum distinctione admitti potest: nam si sermo sit de debito pœnæ absolute remissæ, certum est, non posse redire per subsequens peccatum; quia illa non esset pœna secundum peccati, vt suppono, sed prioris, vt sic autem iam erat omnino remissa, ergo non potest amplius deberi. Secus autem esset, si fuisset remissa solum sub conditione; tunc enim posito secundo peccato reuiuisceret omnino: potuit namque Deus condonata culpa, nolle condonare pœnam etiam æternam, vt suppono; potuit item nolle condonare pœnam absolute; sed solum sub conditione; si iterum non peccat homo: quo casu interim debitum pœnæ esset mortificatum, sed non extinctum: & posito secundo peccato reuiuisceret idem omnino debitum, in hoc enim nulla est repugnantia in ordine ad potentiam absolutam.

Dices: repugnat, quod ablata culpa, homo sit dignus pœna, sed in prædicto casu supponitur remissio absoluta culpæ, ergo non potest manere debitum pœnæ: Respondeo negando maiorem: nam de facto ablata culpa veniali, remanet debitum alicuius pœnæ temporalis, & quando iustus moritur, tollitur in ipso primo instanti mortis omnis culpa venialis, vt supra vidimus, & tamen manet debitum totius pœnæ exsoluendæ in purgatorio. Similiter potuisset remitti culpa mortalis, & non remitti debitum pœnæ: multoque magis posset remitti pœna solum sub conditione, licet culpa remittatur absolute.

De facto tamen pœna non remittitur eo modo sub conditione, sed omnino absolute, atque ideo reuiuiscit per secundum peccatum, vt constat ex auctoritatibus Gelasij, & Prosperij supra adductis
33
sectione præcedenti, quæ magis clare loquuntur de reatu pœnæ, quam de reatu culpæ: & colligitur potissimum ex modo loquendi sacre Scripturæ, & Conciliorum, quæ simpliciter, & absolute dicunt, remitti peccata, & remitti pœnam: quod enim sub conditione solum remittitur, non remittitur simpliciter, & absolute, neque omnino tollitur, aut extinguitur, sed suspenditur. Ratio item congruentiæ desumitur ex ipsa natura gratiæ, quæ cum sit vera amicitia cum Deo, videtur aliquo modo exigere talem modum remissionis absolutæ, & non solum conditionatæ interim dum homo non iterum peccat. Negare tamen non possumus, quin Deus potuisset vt suo iure, & condonare pœnam solum sub conditione: quare merito Gelasius Papa in verbis citatis, attulit pro ratione huius veritatis clementiam diuinam: quasi insinuans, totum hoc

hoc non tam ex aliqua necessitate quam ex clementia diuina ortum habuisse.

33. Contra hanc communem doctrinam est etiam communis obiectio, quia remissa culpa peccati mortalis, remanet solum reatus aliquis pœnæ temporalis; si autem adueniat aliud peccatum mortale, quod non remittatur ante mortem; tunc prius peccatum puniatur etiam in Inferno pœna æterna; ergo reus pœnæ æternæ debet primo peccato, quæ iam fuerat remissa.

34. Hæc difficultas ferè est eadem cū illa, an, & quomodo peccatum veniale coniunctum cum mortali puniatur pœna æterna, de qua questione agunt Theologi in 1. 2. quest. 87. & aliqui negant simpliciter, puniri in æternū, quia puniretur ultra cōdignū. Ita Scotus, Gabriel, Maior, Almainus & alij quos refert ibi tr. 13. disp. 15. sect. 11. quia à fortiori idem dicunt de pœna peccati mortalis remissi quoad culpam, non esse æternam, sed aliquando finiri.

Maia vi.
Matc. 9.

Hæc sententia, licet ab aliquibus censeatur probabilis, mihi semper durissima est: Videtur enim contra communem fidelium sensum, quia acerbiter pœnarum inferni concipiunt cum perpetuitate in eodem tenore, sine vlla spe refrigerij, aut diminutionis. Quod videtur colligi ex c. vlt. Maia & Marci 9. vbi de damnatis dicitur, quod *vermis eorum non moritur, & ignis eorum non exstinguitur*. extingueretur autem fortasse magna ex parte, si pœnæ pars aliquando finiretur, & per consequens pœnæ illius damnati magna ex parte mitigaretur, & minueretur post illud tempus, atque ideo non essent ita expertes solatij, & lenimenti in suis pœnis damnati, sicut à fidelibus prædicantur, & concipiuntur: imò & à Sanctis Patribus. Sufficiat vnus Augustinus in Psal. 105. col. 2. vbi proposito dubio, an illa pœnæ aliquando mitigentur? Respondeo, mitigari quidem comparatione facta ad alios, qui minus tolerabiliter cruciantur, quam alij: non tamen ita mitigari, ut quam quisque semel expertus est, pœna minor fiat: & adiungit ratione his verbis, *Aliquis vero mitigari eam, cui traditur est pœnam, vel quibusdam interuallis habere aliquam pausam, quis audacter dixerit? quandoquidem vnā stillam diues ille non meruit.*

August.

35. Communis ergo, & verior sententia affirmat, eam pœnam futuram esse æternam. Ita S. Thomas supra question. 87. art. 1. & 1. 2. quest. 87. art. 5. ad. 2. & in 4. distinct. 16. quest. 2. artic. 1. & distinct. 21. quest. 1. art. 3. questione. 3. vbi idem docet de peccato, quod fuerat remissum quoad culpam, licet de hoc aliter videatur sentire distinct. 22. quest. 1. art. 1. ad. 5. vbi tamen aliorum solum sententias referre videtur. Cum Sancto Thoma sentiant ferè omnes Theologi, quos congerit Salas vbi supra. Sed tamen non consentiunt in ratione huius communis doctrine reddenda. Si enim pœna æterna erat iam absolute remissa; difficile est explicare, quomodo iterum redeat non redeunte culpa, quod difficilius est in peccato veniali, cum hoc non fiat grauius ex adiunctione ad mortale, & aliunde ex se non sit dignum pœna æterna.

36. P. Vasquez in 1. 2. disput. 141 in fine probat ab absurdo, quia iuxta sententiam contrariam possemus orare pro damnatis, ut eorum pœna temporalis citius finiretur. Verum hæc ratio facile solueretur à Scoto: sicut enim nunc non possumus orare pro illis, ut eorum pœnæ remittatur; ita neque in sententia contraria possemus orare, ut finiretur, quia iuxta statum suum debent in omnibus iudicium sine misericordia sustinere.

Aliter probat idem Vasquez ibi. Quia ad hoc, ut remittatur reatus pœnæ à Deo, non satis est pati vt-

cumque, sed satisfaciendo; satisfactio autem habet aliquam rationem meriti, atque ideo debet esse accepta, & grata Deo, quod non potest habere passio damnati, qui est extra charitatem, & in odio Dei; ergo quantumcumque patiatur, non sufficit, ut remittatur ei reatus pœnæ.

Hæc ratio videtur omnino inefficax ad propositum: tunc enim non agimus de remittendo reatu pœnæ, sed de extinguendo per solutionem totius pœnæ debitæ: quamvis ergo ad remissionem reatus necessaria sit satisfactio orta ex charitate, &c. sed tamen, ut debitum illud extinguatur sine remissione, sed per adequatam satisfactionem debitæ pœnæ, non videtur necessaria gratia, sed par quantum homo debet vt patet in exemplis humanis tam in debito pecunie; quam in debito pœnæ.

Alij probant, quia nulla passio, aut solutio pœnæ videtur sufficere, nisi Deus eam acceptet; Deus autem à damnatis non vult eam acceptare, quia non vult eis facere gratiam; Ideo non prodest illis quidquid patiuntur ad extinguendum debitum. Hæc etiam ratio est inefficax, quia non videtur esse in potestate Iudicis acceptare, vel non acceptare pœnam, quam reus propter delictum patitur ex ipsius Iudicis sententia: quomodo enim potest reus ex imperio principis flagellari propter delictum, & tamen Princeps dicere, nolo acceptare hæc flagella in pœnam illius delicti? Posset sane Deus torquere damnatum pro suo dominio, & potestate, sicut posset etiam torquere innocentem sine respectu ad delicta, & tunc posset non acceptare illum dolorem pro pœna peccati, sed tamen si Deus velit torquere illum propter peccata, non potest non acceptare illam pœnam pro peccatis: hæc enim acceptatio nihil aliud est quam velle, ut illa pœna sit pro peccatis. Si ergo illa est pœna æqualis, non poterit iam Deus exigere aliam secundam pœnam, ut pœnam iam enim extinctum est omne debitum pœnæ per passionem adequatam illius.

Communior solutio est, peccatum veniale per se loquendo mereri pœnam temporalem, sed tamen pœnam illam per accidens fieri æternam per cōiunctionem ad mortale; quia culpa venialis non potest remitti sine mortali: perseverante autem culpa debet perseverare pœna; tandiu enim manet culpa debet perseverare pœna; tandiu manet culpa. Hæc ratio ne vitur S. Thomas, & alij communiter: sed reuera difficilis est, nisi explicetur. Primum quia hæc ratio moralis ad summum probat de pœnæ peccati venialis non dimitti quoad culpam in hac vita, non autem probat de pœna illius peccati, siue mortalis, siue venialis, quod iam fuerat remissum quoad culpam in hoc enim non manet culpa, & tamen durat pœna in æternum in Inferno. Præterea etiam in peccato veniali, non dimisso quoad culpam difficile est quod puniatur perpetuo, eo quod culpa duret perpetuo, nō vel sermo est de culpa actuali, vel de habituali. Et quidem actualem certum est non durare, cum sit præterita: habitualis verò non videtur digna supplicio; cum enim culpa habitualis non sit voluntaria nisi in causa, non est digna maiori supplicio, quam fuit causa: sicut actus exterior non addit demeritum, vel pœnam supra pœnam actus interni, ut suppono ex materia de actibus humanis, & dicam infra disput. 24. sect. 4. quia solus est voluntarius in causa: non ergo debet homo puniri, quia habet culpam habitualement, sed quia peccauit actualiter; ergo perseverantia culpa habitualis non debet augere pœnam: alioquin qui peccauit actualiter, & postea habuit maculam habitualement per mensem, puniretur postea cæteris paribus, plusquam ille, qui fuit in peccato habitu-

bituali per hebdomadam; quod nemo conceder, quia peccatum habituale neque est materia punitionis, nec reprehensionis, nisi in causa; vel nisi sit noua culpa propter nouam obligationem, quam aliquando habemus procarandi remedium, & penitendi. Quod ad propositum parum refert, quia licet in inferno ipsa impenitentia esset nouum peccatum, sed tamen peccata quae ibi committuntur non puniuntur, quia sunt extra viam, & ideo non sunt obiectum punitionis. Restat ergo semper explicandum, quomodo per accidens ex coniunctione ad mortale fiat aeterna poena illa, quae debet esse temporalis.

Dupliciter ergo potest haec perpetuitas explicari supponendo, id fieri ratione illius status, qui ex se petit uniformitatem in penis sine mitigatione, posset autem hoc ipsum dupliciter executioni mandari sine iniuria damnatis. Primum, quia potest Deus ita attemperare illam poenam aeternam peccati venialis, vt re ipsa non excedat in morali aestimatione poenam temporalem, quam aliis patetur: potest enim esse adeo remissa illa aeterna poena, vt aequiualeat poenae intensissime vnus anni, v. g. nec enim ex terminis videtur repugnare, quod in ordine ad aestimationem moralem possit adaequari aliquid aeternum per aliquid temporale: vt in materia praemij maius praemium, & appetibilis videtur visio Dei per mille annos, quam visio praemij aeterni per aeternitatem: cur ergo similiter non poterit cogitari aliqua poena aeterna, quae tamen non sit maior moraliter, quam alia temporalis vt si homo per aeternitatem pateretur dolorem aliquem valde remissum, non videretur grauior poena moraliter quam pati per multa annorum millia acerbissimos dolores, & cruciatus: quare cum damnatus aliunde debeat propter mortale pati perpetuo in Inferno, non videtur ei fieri iniuria, si poena acerbissima temporalis, quam debet per aliquot annos pro venialibus, commutetur ei in aliquod modicum augmentum aeternae poenae.

Dices non videri hoc modo satisfieri, quia illa aeternitas poenae, si attentè consideretur, nullā aliam acerbitate potest compensari, si enim posset aequiualeat poena acerbissima mille annorum alicui poenae aeternae: posset etiam eidem omnino poenae aeternae aequiualeat eodem modo qualibet pars illius poenae temporalis, v. g. per horam vel per quadratem, vel per ictum oculi: nam si ista pars non aequiualeat toti illi poenae modicae aeternae, ergo solum aequiualeat parti aeternitatis: ergo tota poena acerbissima mille annorum solum aequiualebit totae partibus aeternitatis illius alterius poenae, quae sunt horae, v. g. vel quadrantes in illis mille annis, eadem enim est ratio de omnibus, ac de singulis horis, v. g. pro singulis horis huius poenae acerbissime correspondebunt millia millium annorum illius alterius poenae. Cum autem horae, & quadrantes in hoc tempore finito, sint etiam finitae: consequens est, vt millia millium annorum correspondentium alterius poenae sint etiam finitae, per consequens non adaequent aeternitatem, fatendum ergo est aeternam poenam nunquam posse mortaliter adaequari per poenam aliquam temporalem.

Respondet negando sequelam: & ad calculationem positam dicimus, si homo deberet non mille annos, sed 500. tunc responderet illis poena etiam aeterna, sed dimidio minor, quam illa, quae responderet pro mille annis: non ergo responderet dimidia in duratione, sed dimidia in acerbitate: nam si cui se haberent 500 ad mille; ita poena aeterna respondens pro 500. annis, haberet se ad poenam aeternam correspondentem pro mille: poena itaque

P. Ioan. de Lugo, de Penitentia.

500. annorum non aequiualeat toti poenae aeternae, quae responderet poena mille annorum, nec etiam aequiualeat parti aeternitatis, sed dimidiæ parti illius poenae aeternae, non dimidiæ quoad durationem, sed dimidiæ quoad acerbitatem.

Secundò, & aliter, & fortasse magis ad mentem S. Thomae, & communis sententiae possumus hoc explicare ex perseverantia culpe, ratione cuius poena continuatur sine fine: ita tamen vt sermo sit non de perseverantia culpae habitualis vtrumque, sed de perseverantia etiam in effectu, quatenus damnatus non solum non dolet de peccato praeterito, siue veniali, siue mortali, sed veller, si posset, iterum illud committere ex odio, quod habet contra Deum, quae culpe perseverantia videtur impedire solutionem totalem poenae: poena enim temporalis ex natura sua ordinari solet ad correctionem etiam delinquentis, vt per supplicij dolores melius agnoscat turpitudinem sui delicti, & vt dolor ipse aperiat oculos, quos clauserat culpa. Ad hoc quippe iubet Princeps flagellari reum non solum ad exemplum aliorum, sed etiam ad correctionem ipsius rei, vt melius & firmitus resipiscat: quod si reus inter flagella ipsa clamer approbando semper quod fecerat, & animum suum ostendendo redeundi ad idem delictum, si posset, merito sane verbera continuarentur, & multiplicarentur, quia lex praescribens certum numerum verberationum intelligitur posita resipiscencia, & poenitentia rei. Ita sane poena temporalis praescripta peccato veniali vel illa in quam commutatur poena aeterna peccati mortalis remissi, videtur includere semper hanc conditionem, quia vtraque ordinatur etiam ad correctionem peccatoris, vt per dolorem poenae melius agnoscat fedelitatem, & grauitatem peccati. Cum autem in Inferno anima propter vltimum peccatum mortale contraxerit obstinationem in omni peccato, & cordis obdurationem, hinc fit poenam etiam peccati venialis nunquam finiri, quia nunquam inuenitur correctio, & resipiscencia, ad quam ordinabatur: non quia puniatur illa culpa noua obstinationis, & affectus ad peccatum praeteritum, sed quia punitur culpa praeterita, quandiu non appareat resipiscencia illius. Et hoc est fieri aeternam illam poenam per accidens ex coniunctione ad mortale, quia per se debebat esse temporalis: per accidens autem est, quod detur illa obstinatio propter vltimum peccatum mortale, & ita per accidens continuatur etiam poena peccati venialis in quo differt valde à peccato mortali, hoc enim per se affert poenam aeternam, quia per se affert obstinationem in culpa, & per consequens in terminabilitatem poenae: ac verò veniale per se non affert illam obstinationem, qua solum contrahitur propter mortale, & ideo solum propter coniunctionem ad mortale habet poena illa peccati venialis eandem perpetuitatem.

Haec ratio sic explicata probat pariter de poena peccati iam prius remissi quoad culpam in hac vita, quia datus est etiam de isto peccato coplacet in Inferno, & habet simile affectum erga illud, sicut erga cetera omnia, quae non fuerunt ei remissa, quare merito etiam puniatur perpetuo propter illud, quia illa etiam poena quae ex se ordinabatur ad eius correctionem, inuenit illum semper incorrigibilem, & obstinatum.

Dices videri iniquum, quod obstinatio sit occasio continuandi poenam & supplicium, cum eadem obstinatio sit poena, quam damnatus patitur propter peccata. Quomodo enim ordinantur flagella ad eius correctionem, si ipse ratione status, non potest vlllo modo corrigi, vel resipiscere? Respondet, aliud est, quod

quod dānatus patitur propter mortale, aliud quod patitur propter veniale: pœna enim venialis præscindit per se ab obstinatione contracta per mortale, & ordinatur de se ad correctionem, sicut si aliquis propter delictum priuaretur bonis omnibus; & hic ipse esset prius in carcere propter debitum pecuniarum pareretur sanè carceris incommoda, quandiu non soluit, licet propter coniunctionem cum illo alio delicto esset impotens soluendo, & fieret per accidens diuturnior carceris pœna.

44.

Ad do tamen damnatum non ita esse obstinatum in malo, ut amittat omnem potentiam etiam physicam ad resipiscendum saltem actu naturali: habet enim vere potentiam physicam ad non peccandum alioquin non peccaret in odio Dei: sufficit autem hæc potentia, ut possit pœna peccati venialis ex se ordinari ad eius correctionem, licet certissimum sit nunquam corrigendum. In hoc ergo consistit eius miseria, quod ex vno capite videt malitiam sui peccati, & potest saltem physicè actu naturali eam odio habere; ex alio autem capite propter peccatum mortale priuatur omni auxilio congruo ad resipiscendum etiam naturalem, quare sicut manet ei libertas ad peccandum: manet etiam libertas sufficiens, ut pœna peccati venialis ex se ordinetur ad eius correctionem, licet aliunde certum sit nunquam corrigendum in pœnam peccati mortalis. Quamvis ergo pœna non ordinetur ad correctionem illius, qui nullo modo potest corrigi, ut in amente, vel dormiente, &c. Caterum in eo, qui potest aliquo modo resipiscere valde congruit ordinari pœnam temporalem ad eius correctionem, ut diximus: Est enim pœna sicut reprehensio, aut exprobratio quædam delicti: quare sicut exprobratio in eo, qui potest corrigi, ordinatur ad eius correctionem, & quandiu non vult corrigi, merito continuatur reprehensio, & exprobratio peccati præteriti; ita de punitione dicendum videtur propter eandem rationem.

45.

Dices iterum; ergo fieri potest de facto, ut magis aliquis puniatur in Inferno propter peccata venialia quam propter mortale, quia utraque pœna est æterna; & cum pœna pro mortali sit finita in intensione, poterit tandem æquari, & superari à pœna venialium, si hæc magis, & magis multiplicaretur. Consequens autem videtur absurdum, quia peccata venialia quantumvis multiplicentur, nunquam adæquant vnum mortale in gravitate culpæ, ergo neque in pœna. Respondeo negando sequelam simpliciter loquendo, quia necessitas perpetuitatis pœnæ nullo modo correspondet venialibus, sed soli mortali, cui soli respondet obstinatio, & necessitas perpetuitatis: loquendo autem de pœna sensus non est inconueniens, æqualem respondere multis venialibus, & vni mortali, dū tamen illis correspondeat perpetua per accidens; huic autem per se, quod provenit ex maiori huius gravitate quod fatentur multi apud Grana- do in materia de peccatis *tract. 9. disp. 4. num. 6.* qui eos sequitur. Quod quidem admitti potest iuxta secundam solutionem, nam iuxta primam supra positam non est necesse concedere sequelam etiā de pœna sensus, quia posset ea ita esse remissa, ut nunquam adæquet acerbiter pœnæ æternæ quæ respondet culpæ mortali.

Ex dictis inferitur solutio ad obiectionē initio propositam: negamus enim per secundum peccatum mortale remuiscere pœnam dimissam prioris peccati mortalis formaliter loquendo: illa enim prior erat per se æterna; hæc autem, quæ nunc datur, est æterna, per accidens: itam pœna illa dimissa erat etiam obstinatio, quæ debebatur propter illud

primum peccatum, nunc autem obstinatio non contrahitur propter illud primum, sed propter posterius peccatum: solum ergo perseverat formaliter illa pœna, quæ iam debebatur, sed tamen manet æterna per accidens propter obstinationem, quæ illi adiungitur, ut iam explicatum est.

DISPUTATIO XI.

De effectu pœnitentiæ in ordine ad recuperationem gratiæ, & virtutum.

SECT. I. An recuperetur gratia correspondens meritis precedentibus.

SECT. II. An merita remuiscant in ordine ad idem premium, quod prius debebatur?

SECT. III. Virum per pœnitentiam restituatur etiam gratia antiqua, quæ data fuerat sine meritis.

Hæc est eadem quæstio cum ea, quæ sub aliis terminis solet disputari de remuiscencia meritorum; an scilicet merita per peccatum mortificata, postea per pœnitentiam remuiscant? Nam si merita remuiscunt in ratione meriti, & coipso redeunt habitus gratiæ, & virtutum insuflatum illis meritis correspondentes, qui per peccatum fuerant deperditi. Agunt ergo de hac quæstione Theologi etiam in 1. 2. q. 14. in materia de marito ubi videtur potest P. Valquez *disp. 1. 2. & in præfati art. 5.* & P. Suarez in *opusculis relect.* peculiari de remuiscencia meritorum.

SECTIO I.

An recuperetur gratia correspondens meritis precedentibus.

Quod querimus de habitu gratiæ intelligimus etiam de virtutibus insuflis, quæ veniunt cum gratia. Eadem enim est earum ratio, supposita sententiæ communi, quod habitus insuflati virtutum moralium habeant connexionem cum habitu gratiæ, ita ut recedente gratia, recedant, & veniente, veniant cum illa. Est autem duplex gratia, de qua potest queri, an per pœnitentiam recuperetur: altera est, quæ ante peccatum erat iam data ex meritis, altera quæ data fuerat etiam ante peccatum ex opere operato, verbi gratia, per Sacramenta: utraque per peccatum perditur, & de utraque queritur, an per pœnitentiam restituatur; ita ut si homo ante peccatum habebat quatuor gradus gratiæ, partim per Sacramentum, partim per merita comparatos; post pœnitentiam iidem, vel alij quatuor gradus restituatur ultra gratiam, quam in secunda iustificatione per contritionem: verbi gratia, vel per Sacramentum pœnitentiæ accipit? In hac sectione, & sequenti dicemus de gratia acquisita per merita, an redeat. Sectione verò tertia dicemus de gratia quam habuerat homo ex opere operato, an etiam redeat.

Supponimus, per peccatum merita precedentia non mori, sed mortificari; id est, non ita extinguuntur, quin maneat in eo statu in quo possint iterum expedire habere suam operationem, scilicet, perducere hominem ad gloriam: impediuntur, sed non extinguuntur; retinent enim adhuc vim inferendi premium, si tollatur obex peccati.

Hoc supposito, conveniunt Theologi cum S. Thoma